

# CUPRESSUS DUPLEX

Alterā

SERENISSIMO, CELSISSIMOQ; PRINCIPI  
AC DOMINO,

## DOMINO JACOBO,

In Livoniâ, Duci Curoniæ ac Sempalliæ,

Anno 1682. d. 1. Januar. piè defuncto,

Alterā

Ejusdem Nepoti Principi Juventutis  
ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOQ; PRIN-  
CIPi AC DOMINO

DOMINO

## JOHANNI FRIDERICO,

In Livoniâ, Duci Curoniæ ac Sempalliæ,

Anno 1683. d. 12. Febr. piè denato,

DUABUS

PARENTALIBUS ORATIUNCULIS

Sub

M. GEORGII Krüger/R.S.L. Directorio

supplici devotione positæ

à

duobus Alumnis Scholæ Libaviensis

HENRICO FEUERBACH, Libav. Curon.

JOHANNE PLANDER, Libaviensi Curon.

In Lycéo Libaviensium 1683.

---

Regiomonti, Typis Friederici Reufneri Heredum.

*Serenissimo Celsissimoq; Principi ac Domino*  
DOMINO

**FRIDERICO CASIMIRO,**

In Livonia, Duci Curoniæ ac Semgalliæ,  
Principi ac Domino nostro Clementissimo.

SERENISSIME CELSISIME DUX  
CLEMENTISSIME PRINCEPS AC DOMINE  
DOMINE.

**E**quidem optassemus latiore occasione, in qua affectum nostrum & obsequia subjectissima Celsissimo Principi ac Domino nostro ostendere potuissemus, si Deo ita placuisset. Sed (proh dolor) ipse titulus huius debiti subjectissimi digito quasi ostendit, quam nobis Dei providentia occasionem deditaverit immutabilis: siquidem Cupressus apud veteres Romanos erat mortis symbolum, quam signare solebant domum demortuorum. Quare primitias huius nostras ad pedes Illustr. Ser. V. subjectissime deponimus, supplices orantes, ut in eadem oculos inferat Clementissimos, nosterque Clementissimus Princeps ac Dominus permaneat. Quod si quid occurrerit, quod Illustr. Ser. V. displicuerit, humillima ac supplici oratione petimus, ut culpæ ætatis nostræ id attribuat, nosq; contra momum, qui ex musca elephantum solet facere, linguasq; dentatas Clementissimè defendat. Interim Illustr. Cl. V. Studia nostra commendamus diu noctuque pro tota Familia Serenissima preces fundentes, ut D. T. O. M. tandem ad finem usque mundi conservet.

ILLUSTR. SER. V.

subditi humillimi

HENRICUS FEUERBACH,  
JOHANNES PLANDER.

ORATIUNCULA  
PARENTALIS  
PRIMA.



Ajorem equidem Panegyristen requirit, Auditores benevoli, Demosthenem suavissimum, aut Tullium disertissimum: non Balbum aliquem vel adolescentem ineptum, Illustrissimum ac de Republica bene meritum Principem encomiis exornare. Sed licet tenuitas mea mihi silentium imponat; vestra tamen benignitas, Auditores benevoli, quæ soletis dignari dicentes me allicit & ad dicendum invitat. Rem, de quæ dicturus sum, multis exponerem verbis, nisi vulnera quædam renovarem multa de Serenissimo Principe nostro piè defuncto prolixius differendo. Ah quanta bona perdidimus! Possemus hic loci laudes piè extincti Clementissimi Ducis nostri satis amplificare tum pietatem Ejus erga Deum, tum charitatem erga Subditos, tum alias virtutes explicando, nisi ratio temporis ac tenuitas dicentis ea silentio tegere mandarent. Ne tamen nihil dixisse videamur, quæ Reipublicæ Moderatori Summo cuilibet propria videntur, paucis perstringere placet. Erat in Illustrissi-

A 2

mo



mo ac optimè quiescente Principe ac Duce No-  
stro Clementia notabilis singulari severitate con-  
iuncta, comitas ac mansuetudo magnificentiæ  
mista, prudentia denique cum summa vigilantia  
ac patientia. Summis ad Cœlum laudibus effertur  
Artaxerxes Persarum Imperator, qui subditos  
ad suos tales literarum formas pingere solebat:  
postquam multas Nationes atque Regiones Im-  
perio tenemus, nolumus abusum potentiæ no-  
stræ humanitate potius ac mansuetudine gu-  
bernaturi, ut sine terrore ac in pace ab omni-  
bus optata vitam Subjecti transigant. Sed  
quotusquisq; est inter nos, quem lateat, quo-  
modo inter virtutes placidè dormientis Clemen-  
tissimi Domini nostri præluceret instar alicujus  
Adamantis pretiosissimi Clementia erga suppli-  
ces ac mansuetudo in pauperrimos Cives subdi-  
tosque, ut nemo tam humilis esset, cui non ad  
Eum aditus pateret, quibus verbis Miltiades lau-  
dabilis Atheniensium Dux alicubi commenda-  
tur. Sed erat & in Eo singularis & admirabilis  
patientia. Onus, non honos tantum est domi-  
natus, Auditores benevoli, si dicendum quod  
res est. Hinc vir quidam Illustris Regiâ Coronâ  
sibi oblatâ, fixis in eam oculis diu intentus, ejus-  
modi denique verbis utebatur: Si quis explo-  
raturum

raturum haberet, quot curæ, quot labores, quot  
pericula in te laritarent, te humo minimè tolle-  
ret. Ac Germanicus Pater Caligulæ Imperio  
Romano sibi oblato vitam adimere sibi voluit en-  
se, Tiberiumque commendavit, ipse privatam  
eligens. Hæc de re patientia opus est imperan-  
tibus non modo ob infinitos atque concatena-  
tos labores, sed pericula etiam: siquidem Im-  
perium tam cito amittitur, quam occupatur,  
uti videre licet in Julio Cæsare Imperii Romani  
fundatore, atque in Ninô Imperatore Assyrio-  
rum. Sed quàm mirificè in Imperio patientiam  
exercuerit indefessus Serenissimus Princeps no-  
ster, exprimere verbis jam nequeo. Immorta-  
litati mandata lugubris historia de educatione  
Ipsius, cum Iste (proh dolor) annô supra mille-  
simum sexcentesimo quinquagesimo octavo  
cum totâ Illustrissimâ Familiâ sua è sede suâ aliò  
deduceretur: ubi certissimè patientia maximè  
erat necessaria. At quoniam Reipublicæ admi-  
nistratio multis difficultatibus ac periculis est in-  
voluta, vigilantia etiam necessariò requiritur  
in Principibus, eaque indefessa. Ingenia saga-  
cissima vigilantiam exprimentia pinxerunt gru-  
em altero pede stantem altero lapillum tenen-  
tem: hoc enim agere dicitur avis illa vigilantia  
studiosa,



studiosa, ut à venatoribus somno sopita ne decipiatur. Hæc pictura optimè videtur exprimere, qui curam aliorum sustinent, quos inter ipsi Principes summum locum obtinent. Quodsi autem res ad amissim enarranda, vix ac ne vix quidem aliquis beate defunctum Illustrissimum Principem nostrum superabit in procuranda Sui Ipsiusmet ac Subditorum salute. Ubicunque enim Minister sacrorum officium deponebat, omnem movebat lapidem vigilans, ut persona idoneus locus suppleretur. Idem etiam in rebus ad Reipublicæ administrationem pertinentibus peragere studebat. Excellebat etiam mirificè prudentia singulari moderazione conjuncta, quàm tam bello quàm in pace utebatur instar oloris albicantis. Hanc enim rerum naturalium indagatores referunt cum omnibus animalibus, præter aquilam, quàm cum naturalem exerceat pugnam, pacem colere. Ubi tamen hæc prudentiâ & moderazione uti dicitur, quod nunquam aquilam laceffit, nec laceffitus pugne initium faciat. En elegantissimam pacifici, prudentis ac moderati Principis imaginem, quæ tamen in animo Clementissimi Domini nostri suaviter dormientis egregiis coloribus erat illustrata. O quanta bona! Auditores benevoli, sed proh dolor

lor amissimus hæc omnia! eheu perdidimus mox ea tenebris terræ mandaturi. Videor autem mihi, Auditores benevoli, Clementissimum, Principem ac Dominum nostrum audire loquentem nosque sic compellantem: Nihil amissistis Filii, nihil perdidistis Fidelissimi. Rectè nobis hæc suggerit. Philippus Macedo è vita discessurus ad proceres flentes ac reliquos adstantes dicebat hæc solandi ergo: Non moriar, quia Alexandrum, in quò vivam, in terra relinquo. Sic noster Serenissimus Dux utpote veri Dei sectator rectius loquitur. Non mortuus sum, quia Filios ac vobis Curonis Filium FRIDERICUM CASIMIRUM in Quò vivam, in terris relinquo. Nihil ergo amissimus, nihil perdidimus. Quid ergo moramur amplius reddere materæ corpus exanime, unde ortum erat, certò confidentes futurum, ut suo tempore ex pulvere terræ summa claritate, firmitate, agilitate, resurgat. Veteres Ægyptii Regum suorum corpora vitro circumvestire solebant pellucido significantes, eadem aliquando pellucida claritate donanda. Hinc mirificè delectatione singula corporis humani membra eorumque connexionem internam exactè contemplantur, & quæ nobis hòc Seculò erant ignota, admiratio-



tione summa lustrabimus perennes Deo laudes decantando. Hæc claritas juxta veterum traditionem septies superat splendorem Solis nitidissimum, ita ut si ejusmodi corpus terræ incolis jam appareret, ipsum hunc splendidissimum Solem tenebris obscuraret. O inenarrabilem serenitatem Serenissimi Ducis nostri: nam qualis hic erat honoris titulo, talis est jam anima & erit corpore. Infirmum erat hîc corpus à viribus, senio confectum, ac infinitis doloribus obnoxium; sed in Cœlo nulla infirmitas, sanitas potius cum robore firmissimo eodemque perenni. In futuro Seculo affirmat Anshelmus sic justus fortis erit, ut etiam si voluerit, terram commovere possit, & sic è converso injustus imbecillis, ut nec etiam vermiculum amovere queat ab oculis. Hanc sanitatem atque firmitatem comitatur æterna immortalitas, & cum hâc ratione cœlicolarum non sint corruptioni obnoxia, augurantur Doctores Mysteriorum Sacrorum, corpora justorum in alterâ vitâ odorem spirare suavissimum etiam testimoniis Dei nitentes. De corpore Hilarionis memoriæ prodidit Hieronymus quidam, illud mense decimo à sepultura visitatum sed non modo non corruptum fuisse, verum jucundissimum etiam odorem  
emisit.

emisisse. Quod si hoc sit in ligno arido, quid futurum in viridi corporibus instar liliorum viventibus? Hic erat corpus spissum, grave, ac difficulter mobile longo intervallo movendum; sed futurum est subtile, & modo incredibili agile, ut & ipsis cogitationibus agilius dici possit: Quare gratulabimur Serenissimo bene quiescenti Duci nostro de hâc felicitate ac perenni vitâ, pietatem ac devotionem erga Eum significantes, pro tenuitate aliquod memoriæ ergo Epitaphium construendo. Veteres Germani ac Majores nostri omnibus tumbis hæc inscribere solebant: **ET MORTUUS EST.** Hac tamen distinctione, ut Junioribus adderetur signum Interrogationis, seu potius admirationis: adultioribus verò vel senio confectis signum periodi sive punctum. Hoc ita fecerunt, utpote quibus non erat vera Dei cognitio; sed nos ita scribimus:

B

NON


NON MORTUUS EST  
VIVIT  
SERENISSIMUS CELSISSIMUSq; PRINCEPS  
AC DOMINUS,  
**DOMINUS JACOBUS,**  
IN LIVONIA  
DUX CURONIÆ AC SEMGALLIÆ  
PRINCEPS AC DOMINUS NOSTER  
CLEMENTISSIMUS

HIC  
IPSIUS CORPUS  
SOMNO QUIESCIT ARCTISSIMO  
Dixi.

ORA-

ORATIUNCULA  
PARENTALIS

SECUNDA.

 Deus æterne! Quid vita nostra  
brevis? Est bulla mox evanescens,  
fumus in aëre dissipatus, sicut flam-  
ma stupæ à minimò ventò extin-  
guenda. O ploranda mortalium  
felicitas! Vix è portu plerisq; in altum solvere  
contingit, & insperatis acti tempestatibus nun-  
quam reparabile vitæ naufragium facimus! Phi-  
losophus quidam rogatus, ut suam de vitæ hu-  
manæ brevitæ sententiam daret, tacens in or-  
bem se gyrauit. Ah hæc vita nostra ut subita-  
neo gyro eò redeamus unde pervenimus. Cla-  
rum heu nimis clarum hujus rei speculum osten-  
dit Princeps Juventutis JOHANNES FRIDERI-  
CUS Illustrissimus Princeps in Livonia, Dux Cu-  
roniæ ac Semgalliæ piè defunctus, quippe qui  
ne quidem anni circulum in vita absolvit jussus  
hinc emigrare die duodecimò Februarii anni  
currentis. O decus Patriæ infelicissimæ! O dul-  
cedo Parentis Celsissimi! O corculum Matris Se-  
renissimæ! Sed ô injusta mors? Egregiè te de-  
pinxerunt, sic ut nemo melius, pictores optimi  
B 2 cœcam



cæcam & sine oculis, quia non respicis ad flo-  
rem ætatis, sed ex ipsò nutricis sinu Infantem  
Illustrissimum surripis: surda es & sine auribus,  
quia non flecteris gemitu Serenissimi Parentis,  
nec moveris lacrymis Illustrissimæ Matris, nec  
relinquis locum precibus totius Patriæ; rigida  
rupes surdescis? Hæc opinio immunis est ab omni  
errore, Auditores benevoli, cum Imperator Au-  
gustus captâ Perusiâ in plurimos sæviret oranti-  
bus, veniam hæc unica vox occinebatur: Mo-  
riendum est, Sic & mors inexorabilis acerbita-  
tis suæ virus effudit in tenellum huncce Princi-  
pem Juventutis, nil nisi horrenda verba veniam  
orantibus beluinâ importunitate occlamans: Mo-  
riendum est, moriendum est. O inaudita crude-  
litas! ô insatiabilis sævitia! Spes nobis erat præci-  
pua in illo omnibus ad unum. Curatores Ec-  
clesiarum & verbi divini Ministri hoc in lucem  
edito exultabant dicentes: Hicce erit noster  
& nostratum Episcopus, qui curam gregis  
divinæ habebit; sed eheu spes illa evanuit?  
Custodes legum, Optimates Patriæ ac Reipu-  
blicæ Moderatores tunc temporis exclama-  
bant sibi gratulantes: Hicce futurus Dux no-  
ster Serenissimus, Patriæ fulcimentum, Reipu-  
blicæ firmamentum, Imperii ornamentum ac  
Summus

Summus rei Moderator, sed eheu spes illa eva-  
nuit? Tunc cujuscunqve ordinis Cives ac Sub-  
jecti Trophæa constituebant ac ubiqve glorio-  
sè triumphabant dicentes: Hic aliquando futu-  
rus Princeps noster Clementissimus Pater Patriæ  
atq; Protector, qui nostri tutelam recipiet nosq;  
omnibus ab hostibus defendet; sed eheu spes il-  
la evanuit? Verum enim vero mors omnibus de-  
finita, omni ætati communis, & singula hac lege  
creata, ut morte deleantur. Mœstum Darium  
Regem Persiæ ob defunctam Conjugem svavis-  
simam, Democritus Philosophus consolaturus  
promittebat, se Regi vitam defunctæ restitutu-  
rum, si modo tres homines in universò Persiæ  
Imperio invenirentur, qui nunquam lugubri ve-  
stiti essent usi: quæsi illi tres, sed nullibi inven-  
ti in tota Persia. Tum iste ad Regem se con-  
vertens: Vide, ô Rex, quam inevitabilis sit omni-  
bus necessitas: nefas est deslere, quod nefas de-  
vitare. Nec est, quod aliquis objiciat, Istum  
Principem Juventutis maturius extinctum esse,  
cum potuisset Republicæ præsidere, ac totam  
Regionem nostram potestate in sua tenere: si-  
quidem alterum nobis ita videtur, alterum non  
dignum perenni gloria, quam anima immortalis  
jam possidet sempiternis seculorum ætatibus.



Non minus appositè quam verè dicere solebat de se Alexander Magnus obiturus: Vixi satis, quia non annos, sed triumphos numero: metior me non ætate, sed perennitate. Quod si mortalis, qui nulla cognitione cœlitus patefacta imbutus sic audet dicere: multò magis ei convenit, qui Civem veri Dei se confitetur, defuncto Principi nostro, qui certissimè, si fandi potestas ei data esset, nos iisdem verbis compellaret. Satis vixi, quia non annos, sed triumphos numero: Satis vixi satis vici. Vici Deum invincibilem ob crimina hominum ira fervidissimum: Vici peccatum hostem potentissimum: ac metior me jam non ætate, sed perennitate: jam dominor in Cœlo æternum obtinens patrimonium. Non vanum dicis, Princeps Celsissime: si enim in tempore hic diutius perstitisses, ò quam multo sudore atque labore fuissent tibi addiscendæ artes ac scientiæ summo Patriæ Moderatori necessariæ: quas tamen modò omnes & singulas sine labore tenes, iisq; ipsum Salomonem omnium hominum superas Sapientissimum. Avicula quæpiam reperiri dicitur, quæ uno duntaxat die vivit: mane nascitur, vesperi moritur: Intereà verò aliarum nidos pervolat, & singularum voces cantusq; addiscit jam ut turdus, jam

ut

ut Philomela, jam ut aliud animal aërum cantillans. Hæc avis vivum est exemplar hominis citò ac beatè obeuntis, cujus anima quamprimum corpore egreditur, summa intellectus ac voluntatis perfectione donatur, quæ labore Herculeo successu temporis ex parte tantum hîc quæritur, ac si quis mille annos vixerit, nunquam perfectè acquiritur. Sed ipso puncto resolutionis, quo deserit anima corpus perfectæ Dei omniumq; mysteriorum oritur cognitio, acquiritur illustrissima creaturarum notitia, sequitur voluntatis perfectæ sanctitas & affectuum omnium cum recta ratione conformitas. Augustinus Pater de quòdam commemorat Philosopho naturæ Studioso, qui unice in eo elaboravit, ut naturam apium perscrutari valeret; sed mortuus est perquirendo, nec tamen scopum obtinere potuit, ut illud Augustini confirmaretur dicentis: ex parte cognoscimus, quamdiu hîc in Seculo sumus; sed si ad illam Patris lucem venerimus, nihil in creaturis erit, quod nescimus. Et quot affectibus homo hîc in orbe est subjectus, modo iræ vehementiori, modo invidiæ acerbiori, modo amoris inordinato, modo inani mirificæq; expectationi, modo timori incredibili, modo odio & occulto & apertissimo: quæ passurus erat defunctus Princeps

no.



noſter Illuſtriſſimus; qui inculpatus, iisq; plane liberatus vivit in omni perennitate. Cum ergo ſit, clariffimum beate defunctum noſtrum Principem jam Teologum eſſe maximum, Phyſicum excellentiſſimum, Aſtronomum ſubtiliſſimum, Geographum experientiſſimum, omni diſciplina peritiſſimum, voluntate & affectibus ſanctiſſimum, nihil reliquum eſt, niſi ut ex animo ei gratulationem ſignificemus de felicitate Eiſq; ſimul cum Sereniſſimo Domino Avo valedicamus. Hiſtoriarum antiquitas recenſet, apud Romanos veteres in uſu fuiſſe, ut poſt exuſtum cadaver præſica noviſſimum verbum altiſſima voce in-clamaret: ilicet, ilicet, quo ſignificaret, jam cuiq; licere domum ire. Quo factò comitantes funus domum abituri extremum vale ſic ter occlama-bant; vale, vale, vale! Nos te ordine quo natu-ra permiferit ſequemur. Sic etiam ego ſermo-nis mei finem faciens exclamo; ilicet, ilicet, ire licet cuiq; domum. Comitantes vero funera piè defunctis Principibus Sereniſſimis ſic occlama-mus; valete, valete, valete! Nos cum Deo placuerit Vos ordine ſequemur.

Dixi.

••• : (O) : •••